

De erroribus commissionis ad Con-
silia spectantibus.

QVÆSTIO V.

PRIMO sese offert dubium jam diu agitatum, an nimirum possit Medicus ab arte primo, debinc etiam an tuta conscientia absentibus mederi, ac consilium dare; & Codronch. lib. 1. de Christ. med. ratione cap. 5. rei difficultatem in hoc puncto ostendens, in negativam sententiam ire videtur, quod si aliquando Medico liceat, tunc voluit illum tutiora, & clementiora medicamenta debere præscribere, validioribus omnino prætermittis. neque dubium est, ut elicitur ex Galeno in documento de Euer. Epil. quod absentibus consilium dare est undequaque difficile, ac omnino periculosum. Codronchii tamen sententiam possumus aliqua ex parte moderari dicendo primo, quod quodcumque Medicus ab aliis Medicis, vel à personis expertis certior fiat de natura, & accidentibus morbi, de temperamento, & viribus ægrotantis, & de aliis ad hoc necessariis possit & ex arte, & tuta conscientia absentibus mederi, & quæcumque medicamenta indifferenter præscribere, ut in dies à quibuscumque Medicis factitari absque ullo conscientia: scrupulo observamus.

Secundo dicendum neque tuta conscientia, neque ex arte Medicum posse absentibus mederi, si aut incertam, & dubiam, aut non sufficientem relationem eorum habeat, quæ diximus: quomodo enim curabit morbum, quem non cognoscit, aut ægrum juvare aliquo modo poterit, cuius naturam, & vires ignorat? poterit tamen quædam generalia præscribere, ut quæ pertinent ad vitæ rationem saltem aliqua, quædam item medicamenta clementiora, ut dicebat Codronchius; quin etiam & sanguinis missionem, dummodo nonnulla prius ipse interroget, & alia etiam admonet, ut de viribus ægrotantis, de symptomatibus, quibus affligitur, de sexu, de ætate, de vitæ instituto, & similibus, & admonet insuper ne præcesserit ulla insigne evacuatio, aut veneris immoderatus usus, & alia, quæ possunt sanguinis missionem impedire.

PRÆTEREA Medicus, ut omnes Canonistæ admoneant, & cum Canonistis Medici omnes catholice sentientes, non potest quicquam, quod contra Animæ salutem sit ægris suadere; sic expressissime cavetur in cap. cum infirmus de Penit. & remiss. in hæc verba, Cæterum cum anima sit multo pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis Medicorum pro corporis salute aliquid ægrotato suadeat, quod in periculum animæ convertatur, quod non desisterunt etiam admonere ipsi Medici, ut Forest. lib. 4. Obs. Chirurg. obs. 6. in schol. Codronch. lib. 1. de Christ. med. rat. cap. 20. Gasp. Tristan de Cler. Med. §. 36. qua occasione sumpta dico, Medicinam, si res iniuriis perferretur, non querere simpliciter corporis sanitatem, ita ut de Animo non sit sollicita, imò potius contrarium, querere nempe corporis sanitatem ad hoc ut Animus valeat,

— Et sit mens sana in corpore sano.

alias incassum laboraret, non solum quia corporis infirmitas originem trahit aliquando ab infirmitate animi: ex. in cit. cap. cum in infirmitas, unde non remoto morbo animæ, non induceret sanitatem, sed etiam quia nulla potest vere dici sanitas a deesse ubi anima sana non sit, ergo de necessitate Medicina debet querere Animæ sanitatem, & sanitatem corporis ad A-

nimæ salutem dirigere, qui igitur ut corporis sanitati consulat, animæ sanitatem negligit, non in præcepta modo divinæ legis peccat, sed apud veram etiam Medicinam ut Anathema habendus, quamquam autem Medicum nos pro sanitate corporis tantum consulamus, certe si pro sanitate quoque Animæ in iis, quæ ad eum spectant, consuleremus, non minora præsidia ab ipso in animi reportarem, quam in corporis salutem reportemus. sed quotusquisque homo est, qui ad animi morbos auxilium à Medico exposcat? deplorandum quidem est, ut neglectis omnino auxiliis, quæ ad animi morbos Medicina suppeditare potest, sola ea expectamus, quæ corporis saluti prospiciunt. sed de his longioribus egi in libris de Animi passionibus, ac morbis, de eorumque cura tam Physica, quam morali vulgari sermone exaratis.

Cæterum cum multa sint quæ Medicus contra Animæ salutem hominibus suadere potest, aut de omnibus, aut de plerisque saltem singillatim agendum. Dubitatur ergo primo, an Medicus possit ad alicujus morbi curationem, aut etiam ad evitandam mortem, ægro coitus usum suadere, omnesque DD. unanimiter dicunt non posse, quod in tantum est verum, ut non solum peccet hoc aperte suadendo, verbiusque explicitis, sed etiam implicite, & conditionaliter, ut declarat cum aliis Navarra loco citato, & ego quidem non modo existimaverim peccare Medicum conditionaliter loquentem, ut Navarra dicit, Ego hoc tibi non consulo, sed si tale quid faceres, sanareris, sed etiam si cum hac exceptione loqueretur, Nisi peccatum obstarat, coitus usus tibi sanitatem restitueret, quia quantum est ex parte sui Medicus consilium etiam per hæc verba dare videtur, & facile dare potest occasionem peccandi anteposita sanitatis recuperatione, & voluptate propositi remedii.

Hæc autem habere locum in coitu illicito nemo inficiatur, sed dubitant nonnulli, an etiam licitum coitum Medicus possit conjugatis suadere. Turrecremata, ex quo Actius de Infirmit. p. 1. cap. 44. nu. 29. dicit non posse saltem absque peccato veniali, quod tamen cæteri non videntur admittere, quia volentes Medici non posse suadere coitum, omnes loquuntur de illicito, ita post alios Navar. ubi alias, nu. 62. Less. de Inst. & Inst. lib. 4. c. 3. dub. 14. Carrat. de Med. p. 4. nu. 63. Carranz. de part. cap. 20. q. 8. & ex Medicis Codronch. ubi sepe lib. 1. c. 20. Mercur. lib. 7. error. popul. cap. 41. Ratio tamen videtur adduci posse pro Turrecrematæ opinione, atque ea est, quod Medicus, ut suo loco probabimus, tenetur præscribere remedia tuta, & certa, non dubia, & quæ periculo possunt hominem exponere; sed tale remedium est coitus, quia semper noxius, nunquam salutaris, aut tam de raro proficuum, ut iure suspectus esse possit, quod autem sit noxius multa, ne infinita dicam, probare possunt, quæ tamen data opera relinquam; celeberrimum est Chimæ Pythagorici dictum, venerem tunc esse exercendam, cum quis damnum aliquod subire vult, vel ut alii, cum quis se ipso deterior esse desiderat. si quis autem plures rationes, & auctoritates percurrere velit demonstrantes coitum esse semper noxium, & insalubrem, adeat ex Iureconsultis Cagnol. in Epist. de Vita, & reg. bon. Princ. nu. 137. & Tiraq. de Nobil. cap. 31. à num. 195. ad seqq. & de leg. Cornub. Gloss. 1. par. 10. à num. 6. ad quam plures seqq. multa, ne omnia dicam, congerentem, & post eum Carranz. de part. cap. 20. q. 8. & ex Medicis post antiquiores Nicol. ferm. 6. tract. 2. cap. 5. Cagna-

Quæstio I V.

De Medicorum erroribus à Lege puniabilibus.

tum lib. 1. Obs. 1. Rod. à Castr. lib. 3. de nat. mul. par. 1. cap. 3. & novissime Antonium Sanctorell. lib. 17. seu Antepax. cap. 5. & ex aliis professoribus Cæl. Rodig. Antiq. lict. lib. 15. cap. 4. & seq. quod autem multi dicunt, Venerem aliquibus morbis prodesset, & quod ipse Hipp. 6. Epidem. sect. 5. tex. 22. coitum dixerit esse utilem morbis ex pituita, & Arist. lib. 4. problem. cap. 31. utilem esse morbis melancholicis, & iterum Hipp. lib. 1. de rat. viit. præceperit Venerem esse magis utendum in Aquæ accessionibus, minus in ignis incursionibus, & qui firmaverit quoque lib. 7. Epidem. inf. Dyenteriam à turpi scortatione solvi, quod & Amat. Luit. experientia confirmavit cent. 2. curat. med. cur. 47. hæc inquam omnia videntur à Medico bene elicitibus satis refutata, ac confutata, nunquam ergo coitus à Medico est suadendus quantumvis alias licitus existat.

His tamen non obstantibus, dicendum videtur, salvo semper meliore iudicio, licitum coitum pro sanitatis remedio à Medico suadere tuta conscientia posse: si enim coitus est licitus, non suadet Medicus rei illicitæ operam dare, potest ergo coitum suadere. licet enim actus veneris inter conjuges non sit actus virtutis, non est tamen contra virtutem, imò licitus actus est, & laudabilis, si debito modo, & ad non malum finem celebretur. D. Tho. 2. 2. q. 153. art. 2. imò ut addit, non est minus licitus coitus ad sustentationem humanæ speciei, quam delectatio in cibis ad conservationem individui. Inde non video, quomodo locum habeat opinio Io. Brunelli de sponsalib. & matrim. concl. 8. nu. 12. volentis, quod actus concubitus ad evitandam incontinentiam, & fornicationem cum alia muliere, sit cum propria uxore peccatum veniale, sed in his ego me non admisceo, licet autem instari possit, quod quando coitus à Medico suadetur, non suadetur ad hunc finem, nempe ad generationem, sed ad alicujus morbi sanationem, tamen respondendum, quod satis sit, si finis principalis copulæ sit generatio, licet cum hoc sequatur, quod sit remedium alicujus infirmitatis: neque enim à Medici consilio impeditur principalis ille finis, tunc enim non liceret coitum suadere, licet coitus conjugalis absque spe futuræ generationis non sit ullo modo illicitus, ut est coitus inter valde senes, & coitus cum prægnante, cum qua nulla secundum plurimum spes est novæ generationis donec uterum gestet; & tamen coitus hujusmodi sunt liciti, habet enim copula conjugalis præter finem generationis alios bonos fines ab ipsius Theologis, & Canonistis enumeratos, & inter Medicos à Moxio de cur. morb. mul. per venæ sect. lib. 2. cap. 16. Coitum vero moderatum esse saluberrimum, & causam curativam multarum ægritudinum, post Galenum lib. 6. de loc. aff. cap. 5. Aer. ferm. 3. cap. 5. & Avic. Constantin. Haly, & alios antiquorum dicit Tadd. Florent. in Sag. Ioann. cap. 30. & Nicol. ferm. 6. tract. 2. cap. 4. & late demonstrat Concil. diffin. 124. Roderic. à Castr. de Nat. mul. cap. 3. lib. 1. & novissime Franc. Ranchin. de morb. Virg. sect. 3. cap. 2. & de morb. sinum sect. 1. cap. 10. & Sanctior. de Sanctior. in meth. vitand. err. lib. 4. cap. 9. neque deest ex Iureconsultis, quem adducam abunde de ea re differenterem Tiraq. de Leg. Cornub. leg. 15. Gloss. 1. à nu. 73. ad plures seqq. Vnde verum non est, coitum semper esse noxium, nunquam salutarem, quia, ut ex Rufo Aetius loco supra citato, Naturale opus coitus est, nullum autem ex naturalibus operibus nocivum est; & om-

nium quæ superfluum salubris suo tempore est evacuatio, quia Naturam veluti à sarcina sublevat, quæ aliquando ex se ipsum superfluentem sanguinem, & ipsissimum semen non modo absque noxa, sed maximo cum commodo sponte excernit, utpote quæ per eas excretiones hominem aliquando ab imminente morbo, & ab ipsa morte vindicare soleat. & si coitus intermissio tantopere nocet, ut demonstrat Hippocr. in lib. de his, quæ ad virg. spectant, & Gal. lib. 6. de loc. aff. cap. 5. & cum his Epiph. Ferdinan. & Sanctorius locis supra adductis, certe reditus ad coitus usum ab his nocuentis hominem liberabit.

Aliud insuper insurgit post hoc dubium, an liceat Medico senibus accubitus puellarum, virginumque suadere, quemadmodum vetulis accubitus cum juvenibus, vel adolescentulis ad aliquem morbum profigandum, ut Medici, vel servi suaserunt Regi David jam senio confecto, sacra scriptura narrante lib. 3. Reg. in principio: quod enim accubitus juvenularum senibus, & juvenum vetulis sit salubris præter experientiam testem, probatur ratione à Francisco Ranchin de morb. sen. sect. 1. c. 8. demonstrans quoniam modo hic accubitus hujusmodi personas juvare possit. In hoc dubio decidendo, remedii suspicio ante omnia præ oculis habenda, etiam si præcipitate ætatis hominibus suaderetur, quamquam enim certi essemus de impotentia conclamata hominis, tamen certi esse non possumus, an aliquam finitram cogitationem in senes hic accubitus excitare possit, & sic cum non solum evitare debeamus consilia, quæ peccata suadent, sed etiam ea, quæ dant, aut dare possunt occasionem peccati, concludendum à Medico non posse tale remedium tuta conscientia proponi, sed esse potius in alia simillima remedia committendum, de quibus idem Ranchin. ibid. nisi adeo tenellæ ætatis pueros, & puellas in hac occasione assumentes curaremus, ut omnis peccati suspicio omnino evanesceret.

Sed circa Veneris usum aliud dubium non præmittendum excitatur, an liceat nimirum ob sanitatem recuperandam pollutionem procurare; videtur autem prima fronte incassum de hoc dubitari, quia si coitum suadere non licet, multo minus procurare pollutionem, cum pollutio voluntaria sit peccatum mortale, ut ex communi Lessius de Inst. & Inst. lib. 4. cap. 3. dub. 14. in princ. Sed instatur an liceat saltem ad evitandam mortem, ut maxime in hysteris mulieribus, quæ suffocantur, & aliquando ex procurata feminis emissionem reviviscunt, ut in vidua, de qua Gal. cit. lib. 6. de loc. aff. cap. 5. sunt enim ex Canonistis, qui hoc in aliquibus casibus licitum esse existimant. Sanchez de Matrimon. lib. 9. disp. 17. nu. 19. Tom. 3. relatus per Moxium ex nostris lib. 2. Method. med. morb. mul. per ven. sect. cap. 17. & ita se alias sensisse fatetur Codronch. lib. 1. de Christ. med. rat. cap. 21. tutior tamen sententia est, hoc in nullo casu unquam licitum esse. Less. de Inst. & Inst. lib. 2. cap. 9. dub. 10. num. 61. & ex Medicis idem Codronch. ibid. Ranchin. de morb. virg. sect. 3. cap. 2. Moxius ubi supra, qui acriter impugnat Sanchez opinionem, ejuoque argumentis pro sua opinione allatis satisfacit.

PRÆTEREA dubitatur, an Medicus possit abortum suadere, & absolute loquendo omnes negant, dubium tantum est, ut in superioribus casibus, an id pro recuperanda sanitate, aut saltem pro evitanda morte interdum licere possit; de qua re quia ma-

- magis oportuna in sequentibus offertur occasio, eo loci ejus rei determinationem rejiciemus, quemadmodum & illam non abfimilem, an liceat suadere fertilitatem.
14. Quæritur ulterius an licitum Medico sit hortari aliquem ad ebrietatem pro remedio alicujus morbi, & primo videtur, quod non, quia ebrietas peccatum inducit, & est illicita; quia & corpori noxia est, & animo etiam officit, reddi enim partem Animæ rationalem hebetem, ac turbidam, ut Gal. lib. 2. de sanit. tuend. c. 11. & lib. 4. ejusd. c. 4. & post eum D. Thom. 2. 2. quæst. 150. art. 1. in c. dicebat, & ut cætera præmittam, ebrietatis nocentia & multa, & maximi ponderis esse, qui cognoscere desiderat videre poterit Platon. lib. 1. de Leg. vers. f. Senecam. in Epist. lib. 8. 3. & inter Iureconsultos Hostien. in summ. lib. 1. tit. de temp. & qual. ord. n. 27. Tiraq. de leg. Comm. lib. 1. 5. Glof. 1. n. 146. & seqq. Less. de Just. & Jur. lib. 4. cap. 3. dub. 3. & post alios Barbol. de offic. & potest. Episcop. alleg. 2.6. par. 2. nu. 10. & ex Medicis Practicos omnes in propriis capitulis, & præ cæteris Forellum lib. 9. obser. 2. 3. Salvatic. in controvers. n. 14. Ranch. Parol. sect. 2. c. 15. & plura dixi alias lib. 2. harum Quæst. vii. 1. quæst. 11. cum ergo ebrietas sit adea noxia non videtur pro remedio sanitatis à Medico usurpari posse.
15. Verumenimvero ebrietas alia ex parte cum à Philosophis, tum à Medicis pro multarum egritudinum remedio laudatur. nam Hipp. 1. lib. de intern. aff. nu. 19. in Reum morbo, Si morbi, inquit, initio accesserit, vinum Moderatum album dilutius, quam primum per diem potui exhibere oportet, & inebrietur, quoad sanguis ex naribus plurimus prorumpat. Platon quoque dial. 1. de leg. trans. med. iterumque ibid. vers. finem, ebrietatem videtur commendare, dummodo modus adhibeatur. quin etiam Seneca lib. de Tranquill. Anim. cap. ult. in fin. Ebrietatem apertissime laudet ad vitæ jucunditatem, magnorum virorum exemplo, qui ut curis levarentur aliquando sese inebriabant. & ex aliorum Medicorum testimonio pro remedio oportuno nonnullorum morborum ebrietas proponitur, & vide quæ in hanc rem attulit ex Avicenna, Haly Gordonio, & aliis Nicol. tract. 2. serm. 3. c. 9. & ex Neotericis Silvatic. loco supra cit. & Ranchin. ibid. quibus addendum quod D. Thom. 2. 2. q. 150. art. 2. ad 3. aperte firmat, quod multum comedere, & bibere ad hoc, ut vomitus provocetur, non est peccatum. & manifeste Less. de Just. & Jur. lib. 4. c. 3. dub. 3. & Paul. Laymann. lib. 3. Theol. Moral. sect. 4. num. 4. cum aliis doceat, quod inebriare se non voluptatis causa, sed valetudinis recuperandæ gratia, si in aliquo casu oportunitatem medium esse videatur, non sit illicitum.
16. Sed his non obstantibus dicendum videtur, Medicum non posse directe saltem pro remedio sanitatis suadere alicui ebrietatem; & ita tenet ex Canonistis Navarr. ubi alias num. 62. & ex Medicis Gord. in lib. p. 2. cap. 21. & Codronch. ubi saepe lib. 1. cap. 20. & Silvatic. in Controvers. loco jam adducto. addendæ sunt ad hoc nonnullæ rationes. Medicus non potest quicquam suadere, quod sit contra animæ salutem, ut probavimus, nempe quod sit peccatum, & maxime mortale; sed inebriare se est peccatum mortale. D. Thom. 2. 2. q. 150. art. 1. & 2. ergo Medicus non potest alicui suadere, ut sese inebriet & ad instantiam, quæ fieri potest, quod tunc Medicus consuleret quid contra animæ salutem, quando consuleret ebrietatem ob voluptatem, non vero ob finem recuperandæ sanitatis, responderetur, quod, quemadmodum non licet mediante aliquo peccato mortali sese etiam ab imminente morte liberare, sic non licet consulere ebrietatem propter sanitatem, cum inebriare se, ut dictum, sit peccatum mortale. Præterea Medicus non debet uti remediis dubiis, & quæ cum periculo vitæ in usum trahuntur, sed tale remedium est ebrietas, quia aliquando excitat apoplexiam, & occidit juxta vulgatam Hippocratis sententiam lib. 5. Aphor. 5. & alibi, ergo ebrietas non est à Medico pro remedio morborum usurpanda, quia, ut Gordon. addit, ante vomitum posset homo incurere Apoplexiam.
- Neque valet instantia, quod si ebrietas fiat eo fine, ut vomitus provocetur, & non ad voluptatem, ut dicebant Lessius, & Laymann. & alii, non sit peccatum, quia ut optime D. Thom. ubi proxime, art. 2. ad 3. non est necessarium ad vomitum provocandum, ut quis sese inebriet; nam ad hunc finem satis est assatum comedere, & bibere citra ebrietatem; præterquam quod, ut addit, aqua ipsa tepida facillime vomitus provocatur. addamus & nos mille alia remedia non tam generosiora, quam leviora posse ad provocandum vomitum in usum trahi, de quorum Natura, & qualitate luculentissimos tractatus parat jam solertiss. Medicus Petrus Castellus in libris de vomitoriis. Itaque non excusatur, ut D. Thomas addit, à peccato, qui eo fine, nempe ad vomitum procurandum sese inebriet; & quidem recte, quia per ebrietatem usum rationis amittimus, per quam secundum virtutem operamur, & peccata declinamus. Sed cum hæc locum habeant in ebrietate, quæ vino excitatur, aut alia portione vini naturam amulante, ut Cerevisia est, Siccera, Birra, Hala, Zitum, & similes potus; instari potest, an quibusdam medicamentis licite possimus ebrietatem provocare, & antequam de hoc quicquam determinemus, placet afferre id, quod Herodot. lib. 1. non longe à fin. narrat; nempe pomum, seu fructum quemdam igni injectum circumstantes omnes sese calefacientes suo odore inebriare, nec desunt alia, quæ solo odore eundem effectum apta nata sunt producere, de quibus non est hic locus ut loquamur. ad dubium dico, quod licet peccatum in ebrietate consistat formaliter in excessu potus causa voluptatis usque ad Rationis permixtionem, D. Thom. ubi supra art. 1. Less. loco cod. lib. 4. cap. 3. dub. 3. num. 13. crediderim tamen non licere privare se aliquo modo Rationis usu ad quemcumque finem id fiat, quia per privationem usus Rationis similes evadimus Brutis, quod esse maximum malum, idem Lessius dicebat ubi supra, num. 17. & tamen ipse vult, quod non sit peccatum inebriare se aliquibus medicamentis, aut etiam vino, dummodo non fiat causa voluptatis, quæ simul stare posse non videtur, si modo ebrietatis peccatum non consistit tantum in excessu potus propter voluptatem, sed in spontanea privatione usus suæ ipsius rationis. Ergo si quis aliquo medicamento sese inebriet, cum habeat forte alia, & meliora, negligens per aliquod tempus privare se rationis usu, videant Canonistæ an peccet, quantumque peccet. plura autem sunt medicamenta, quæ inebriare hominem possunt, ut Ambarum cum vino assumptum, lignum Aloes, solanum maniacum, Crocus, Lolium, Anisum, Lupulorum decoctum, aquæ stillatiæ ex hordeo, aliisque granis, & Tabac-

- & Tabacco, & alia quæ recenset Daniel Sennert. lib. 1. præf. part. 2. cap. 6. Sed placet notare Medicum errorem Lessii, qui de Tabacco pronunciavit esse de genere narcoticorum, ac frigidam, quod tamen falsum omnino est, cum sit calida, & sua acrimonia sternutamenta moveat, aliaque efficiat, quæ acrium medicamentorum propria sunt, ut videre est apud Nicolaum Monardum de simpl. medic. Ind. Occid. cap. proprio. qui Tabacco calidæ, & siccæ naturæ in secundo gradu constituit.
18. Excitatur præterea dubium de consiliis dandis circa Jejunii observationem, & circa comestionem carniæ, aliorumque ciborum circa diebus interdictionum, quondam licet Medico infirmis suadere, ut à jejunio sese absteineant, & ut carniibus, quando alias non liceret, vescantur; sed de hac re plura, ac quæcumque occurrerunt, attuli lib. 5. superiori titulo primo per totum.
19. Præter hæc in dubium vertitur, an possit Medicus sine peccato infirmo suadere cessationem à recitatione divinorum officiorum, ab auditione Missæ, à similibusque obligationibus ab Ecclesia, vel à particulari quoquam instituto requisitis; sed & de hac re seorsim agere operæpretium duxi, nimis enim excreveret præfens titulus, & maxime hæc quæstio, si omnia de hac re dicenda in præsentiarum discuterentur.
- His ergo omiffis videamus quid sentiendum de consilio dando circa virginitatem dissuadendam: nam videretur hujusmodi consilium non esse illicitum, quia suadendo virgines ad nubendum, non suademus ad aliquod pravum opus, quod sit peccatum, quia actus Matrimonii non solum est licitus, sed est etiam meritorius, D. Thom. 2. 2. q. 153. art. 2. & conjugium est ex rebus maxime licitis, quia multa bona secum affert, quæ enumerat D. August. in lib. de bono Conjug. Si ergo Medicus potest licite suadere, poterit etiam ad conjugium tanquam ad rem licitam virgines hortari. Immo non solum poterit virgines suadere conjugium, sed forte etiam dissuadere virginitatem, tanquam rem maxime insalubrem, quia mulier nata est ad fetus generandos, & quodcumque ab eo fine distrahatur, morbis fit valde obnoxia, maxime quia in ejus corpore aggregatur suo tempore materia seminalis ad generationem destinata, quæ in corpore retenta, neque ullo modo per coitum expulsa mille mala symptomata, ac mille morbos gignit, ut demonstrat. Gal. lib. 6. de loc. aff. cap. 5. ex quibus mulieres periclitari quotidiana experientia docet.
22. Adde quod virginitas in statu Politico videtur perniciofa, cum tendat ad interitum populorum, & totius generis humani assumptionem, ut prosequitur Franc. Ranchin. de morb. virg. sect. 1. cap. 12. ergo non solum licitum est dissuadere virginitatem Medico ob id, quod noxia individui sit, sed etiam ob bonum publicum, quod absque dubio privato antefendum.
- Denique virgines multis ac difficillimis morbis consulantur, quos percurrit Hipp. in lib. de morb. virg. his autem summa medela, atque unicum remedium est, ut matrimonio jungantur, quemadmodum conceptis verbis ipse Hippocrates præcipit loco cit. cujus præceptum quam utile, quam ad rem soleat esse, satis superque declarat quotidiana experientia, vix enim viro junctæ virgines valetudinariæ, morbosæ, debiles, & vitam miseram ducentes, sanæ, vegetæ, ac robustæ evadunt, omnibusque morbis, quibus affligebantur, facili negotio se extricant.
- Dicendum est, aliud esse dissuadere virginitatem, & hortari virgines, ut potius conjugalem statum, quam virginelem eligant, aliud illas, quæ alias virginelem statum non elegerunt, sed quodcumque detur casus nubere propositum habent, suadere, ut quam primum nubant. hoc enim illicitum non est; at dissuadere virginitatem his, quæ virginelem statum elegerunt, & præferre conjugium virginitati & omni ex parte illicitum est, & hæresim sapit, ejusque erroris damnatus fuit Iovinianus, qui insuper existimabat non majoris esse meriti statum virginelem, quam conjugalem, ut ex D. Hieronymo tradit D. Thom. 2. 2. quæst. 152. art. 4. hoc ergo illicitum est quacumque ex causa fiat etiam ad recuperandam amissam sanitatem, imo etiam ad evitandam mortem, tamen non fieret hoc, quia ita sentiremus, sed solum ad dissuadendas virgines ab earum sancta opinione, & à laudabili illo proposito permanendi in statu virginali.
- Ad difficultates autem, quæ pro contraria sententia proponuntur facile est respondere, & ad primam dicimus, concedere nos conjugium esse licitum, sed non ob id esse antefendum, imo ne comparandum quidem statui virginali: unde etiam si liceat suadere matrimonium, non idcirco licet dissuadere virginitatem.
- Ad secundam dicendum cum Ranchino ubi supra, cap. 13. falso supponi virginitatem esse noxiam, & 25 insalubrem, quia experimento quotidiano habemus Religiosos omnes, & castam vitam degentes magis sanos vivere, quod de viris non est dubium, de feminis autem hoc verificatur secundum plurimum, neque ob id, quod suspicemur uni, aut alteri obesse, id circo si secundum plurimum non obest, dicendum esse rem noxiam, & insalubrem. addendum etiam, quod si nocentia ex continentia hujusmodi personarum corporibus aliqua resularet possunt, habent alia ex parte opportunissima remedia, ut evitentur, sicuti jejunia sunt, orationes, corporis macerationes, & alia id genus.
- Ad tertiam difficultatem respondendum cum D. Thoma ubi supra, art. 2. ad 1. virginitatem nequam tendere ad generis humani interitum, cum sit tantummodo aliquarum personarum, non totius multitudinis, unde potest per alias personas genus humanum propagari, neque necesse est id ipsum per singulas quasque personas fieri.
- Ad quartam dico, bene quidem procedere, quod coitus licitus, nempe conjugalis, possit pro alicujus morbi remedio à Medico suaderi, sed non sequi id circo dissuadendam esse virginitatem tanquam quid noxium, aut conjugali statui postponendum, etiam si corpori noxia esset. Hippocrati tamen, qui virginitatis bona non cognovit, licuit virgines suadere, ut quam primum viro jungerentur; nobis haudquaquam licere debet, qui cum ea bona cognoscamus, virginitatem semper conjugio præferre debemus, ad eamque potius, quam ad hoc homines hortari, quodcumque de ea re nos consulerent fatagunt.
- Ad consilia denique spectare dici possunt, ea omnia, circa quæ Medicus in judiciis tanquam peritus consulitur, & nulli dubium esse debet, quod etiam in his multipliciter peccare potest, sed illud certissimum est, semper mortaliter peccare quodcumque falsa refert, non solum si hoc faciat medio juramen-

mento, nam tunc esset etiam perjurus, sed etiam si nullo juramento adstrictus id faceret, & tunc maxime cum ejus relatio in alicujus personam, vel ipsiusmet iustitiam præjudicaret, redundaret, etiam si id præstaret sub pietatis prætextu, ut si, ne quis ad ultimum supplicium damnaretur, referret vulneratum ab ipso damnando, non periisse ex vulnere, sed ex alio morbo, aut non periisse aliquem ex assumpto veneno, licet ex artis suæ peritia contrarium esse verum cognosceret: peccat enim absque dubio Medicus contra Iustitiam. Codronch. lib. 1. *Christi. med. rat. cap. 38.* de qualitate autem, & gravitate peccati ad Canonistas pro consilio confugiendum.

S V M M A R I V M.

1. Medicus relinquens infirmum ante absolutam curationem, si ille ob id decedat, puniendus, & peccat mortaliter, amplius num. 2. in ægrotis etiam non solvendo, aut desperato.
3. Medicus an possit deserere infirmum suis præceptis non obediens.
4. Medicus non potest recedere à loco infecto, si sit à publico conductus.
5. Medicus an possit cogi ad medendum.
6. Medicus à publico conductus non tenetur ad casus pestilentes.
7. Medicus vocatus non potest negare operam suam offerre, amplius ut num. 9.
8. Fides, quam habet infirmus in Medico magis operatur in salutem, quam medicamenta.
10. Medicus morbum protrahens mortaliter peccat, & tenetur ad mercedis restitutionem.
11. Medicus celans remedium utile, & expertum, an dicatur peccare.
12. Medicamenta magis experta magis tuta.
13. Medicus conductus peccat satisfaciendo per alium debito sibi injuncto.
14. Medicus graviter peccat negligendo suæ ipsius artis præcepta.
15. Medicus studia negligens peccat mortaliter.
16. Medicus qui tarde visitat ægrotantes quomodo peccet.
17. Medicus an possit deploratos relinquare.

De erroribus omissionis circa operationem.

Q V Æ S T I O V I.

Plures casus occurrunt in hoc errorum genere multa animadvertione digni, quorum primus esse potest, quando Medicus ante absolutam curationem infirmum deserit, & ille ob eam causam ex eo morbo decedit, aut saltem magno vitæ periculo subicitur, aut morbus prolongatur; tunc enim culpa reus efficitur, ut apertissime elicitur *exsex. in §. Præterea, Inst. de lege Aquilia*, ubi Medicus, qui servum secuit, & dehinc ejus curationem dereliquit, & ob id servus mortuus est, damnatur; & in similibus casibus Medicum mortaliter peccare firmat Navarr. in *man. Confess. cap. 25. num. 61.* & venit puniendus Carrar. de *Med. par. 2. num. 85.* Caroc. de *loc. & cond. q. 16.* Actius de *Infirm. cap. 47. num. 45.* Inde non videtur multa reprehensione dignus Alexander Magnus, qui Glaucnem Medicum cruci affixit, quod Ephæstionem infirmum deseruisset,

ut quibusdam spectaculis interesset, unde in causa fuit, ut Ephæstionem non servata debita victus ratione obierit, ut refert Plutarch. in *vita ejusd. Alex.* & ex ipso Mercur. in *lib. 2. Error. popul. cap. 3.*

Neque solum Medicus peccat, & sine gravi culpa non est deserendo infirmum simpliciter, sed etiam deserendo infirmum, qui non solvat, Caroc. *ubi supra*, Actius *ibid.* quod procedit etiam si infirmus sit deploratus, de qua re infra.

Sed potestne Medicus deserere infirmum, qui suis præceptis non obediat? communis certe Medicorum sententia est, ægrotos, qui Medico inobedientes sunt esse deserendos, videtur tamen dicendum, quod si ægrotus in rebus levioribus sit inobediens, non sit ullo modo deserendus, si vero delinquat in gravioribus, ac pertinaciter in plerisque contra Medicorum præcepta fe gerat, omnino deserendum esse; ut, exempli gratia, si situm æger tollerare omnino nolit, si quidpiam noxium tantisper degustet, si fomao paulisper extra horam indulgeat, si sæpius eos colluat, & sic de cæteris, non est ob hæc deserendus. non enim hæc tanti momenti ad curam sunt, ut sanitatem multum impedire possent; at si vino abstinere nolit, si potum præter modum assumat, si noxios cibos ingurgitet, si medicamenta assumere nolit, deserendus absque dubio est, nam quid boni ex Medica ope expectare potest, qui Medicinæ præceptis tantopere esse contrarius?

Secundus casus est, cum Medicus recedit à loco infecto, ut ne infectis medendo, ipse etiam inficiatur, quod quidem locum habet, quando Medicus est à publico conductus, Carrar. de *Med. par. 2. n. 92.* Actius de *Infirm. par. 1. cap. 42. num. 15.* nam alias Medicus non conductus non potest cogi ad medendum, Carrar. *ibid. num. 91.* Sed videndum esset, an Medicus ex hoc, quod nonnullis gaudeat privilegiis, & exemptionibus, teneatur idcirco etiam si non sit à publico conductus etiam nolens mederi tempore pestis, & aliter faciendo amittat ea privilegia, aut aliter veniat multandus, ac profecto cum hujusmodi privilegia non alio intuitu Medicis concessa videantur, nisi quia publicæ salutis curam gerant, *argum. l. 1. §. Medicorum. ff. de var. & extr. cognit.* videretur tunc maxime eos teneri, ac cogi posse ad medendum, quando major urget necessitas publicæ salutis, ut pestis tempore uluvenit. Et tamen si Medicus etiam à publico conductus non tenetur ad casus pestilentes. Corneus *conf. 347. vol. 1.* ex quo idem Carrar. de *Med. par. 3. nu. 60.* & *seqq.* multo minus videtur teneri non conductus; sed forte concedi posset, non posse Medicum cogi tempore pestis ad medendum gratis, sed oblata convenienti mercede cogi posse ob rationem prædictam, quæ quidem veritatem habebit, si quis etiam cum propriæ vitæ discrimine tenetur aliis subvenire, quod non credo, licet de Medico conducto non sit verum, quod non teneatur ad casus pestilentes, sed quod non teneatur pro eodem salario, ut ex eodem Corneo dicit idem Carrar. *ubi supra.*

Tertius casus est, cum Medicus vocatus negat operam ægroti offerre, quod forte procedere debet etiam in loco esset copia aliorum Medicorum, ægrotus tamen maximam fiduciam in ipso haberet, & ratio esse potest, quia denegando operam suam infirmo, qui multum in eo confidit, impedit Medicus aut omnino, aut in parte ejus curationem, quia magis operatur fides, quàm infirmus in Medico habet,

habet, in ejus salutem, quam ipsa medicamenta, ut post Galeum 1. *Prognost. in princ.* & Avic. 6. *Natural. firmat Galeott. Mart. de doct. promisc. cap. 15.* & Laur. Ioubert. *lib. 1. Err. popul. cap. 12.* quia tamen nimis onerosum esset Medicos in hoc gravare, ut vocati peccarent recusantes ad ægrotum multum in ipsis fidem accedente, dicendum videretur, Medicum satisfacere huic obligationi si saltem una, aut altera vice accedat, suppetente aliorum Medicorum copia.

Amplianda autem principalis conclusio, ut procedat non solum quando Medicus negat operam suam homini Christiano ipsam imploranti, sed etiam si neget personam extra fidem positam. ita lo. Alphons. à Fontech. in *spec. Med. Christi. tom. 1. pag. 6.* & in hanc ipsam sententiam consentit Roderic. à Castr. *lib. 3. Med. Polit. c. 5.* qui non solum Barbaris, sed & ipsis hostibus peccantibus debere nos subvenire affirmat; imo hoc in tantum esse verum probat, ut etiam ingrati in Medicum sint, tamen firmat non esse expellendos. Neque valet quod ex Hippocrate opponitur, qui recusat Perlas tanquam barbaros pestilente morbo afflictos curare, ut patet ex ejus epistola ad Hibanem Artaxerxis præfectum; imo ipse quasi de hoc gloriaretur ad Abderitas scribens, Regionem, inquit, Græciæ inimicam malo morbo liberare recusat; neque enim erat Hippocrates Christiana caritate, ut nos esse debemus, munius, multo profecto melius Scribonius Largus in *gram. lib. de comp. med.* non fortuna, neque personis homines æstimat, sed æqualiter omnibus implorantibus auxiliis suis subventurum fe pollicetur, & Amatus Lusitan. quanquam forte Christiana caritate non mortus, quod de Christiana fide non bene sentiret, in suo iurejurando cuiusvis religionis hominibus æqualiter operam suam se præstitisse juramento solemni confirmat. Si ergo Medicus peccat denegando auxilium personæ extra Religionem Christianam positæ, multo gravius tunc erraret, quando assumens curare infidelem, ejus curam negligeret, gravissime porro si medicamenta salutis contraria adhiberet, nec minori poenæ subiceretur, quam si in Christianum hominem peccasset.

Quartus casus est, cum Medicus, ut morbum protrahat, remedia salutaria adhibere negligit, aut tarde adhibet, tunc enim non solum peccat mortaliter, sed tenetur etiam ad restitutionem mercedis, & est fur manifestus. Carrar. de *Med. par. 2. n. 70.* & ex Medicis Codronch. *lib. 1. cit. cap. 10.* hoc autem est maximum malorum Medicorum erratum ex conclamata avaritia originem ducens, quod tamen in bonum Medicum cadere nequaquam potest, sed neque malos Medicos, licet id machinentur, nempe morbos protrahere, perficere posse, abunde demonstrant Ioubert. *Err. popul. lib. 1. c. 3.* & Mercur. *lib. 2. Err. popul. c. 27.*

Quintus casus est, cum Medicus celat remedium, quod utile expertus est ad aliquam infirmitatem, & maxime si esset communis, & popularis, illudque pro secreto habet, & non pro palat. Neque valet dicere, quod non teneatur Medicus sua secreta propagare, publicique juris facere, quia hoc redundat in ejus præjudicium, quia minus ex illis lucrabitur; ultra quod enim est contra Medici dignitatem remedia secreta habere, neque prohi Medici talia secreta habere debent, ut optime admonet optimus senex Septalius *lib. 1. suarum caution. nu. 14.* magis certe attendendum publicæ utilitati, quam pri-

vata. *l. pupill. §. si quis rivos. ff. de novi oper. enim.* si ergo Medicus aliquod remedium aliis non cognitum habeat, expedit Republicæ, ut propaleatur; nam vel illud remedium est vere utile, & salutare, & sic cessare debet particularis Medici utilitas ob publicam utilitatem, vel non est in veritate tale, & tunc etiam expedit, ut propaleatur, ne hujusmodi Medici, qui ut plurimum aut imperiti sunt, aut mere Empirici, vanis suis promissionibus, & miraculis homines decipiant, ut quotidie fieri observamus. quam inanis enim est, Deus bone, hæc secretorum remedium persuasio! & tamen non in vulgus tantum, sed in casuscunq; generis viros, imo inquam in ipsos Medicos irreptit. sed quis est, qui negare audeat, medicamenta quo magis sunt experta, & meliora, & tutiora esse, minus autem bona, ac minus tuta, quo minus experta fuerint? & tamen secreta aliis medicamentis ab omnibus præferuntur, cum quo magis secreta sunt, eo minus experta ea esse oporteat, ergo & minus tuta, & minus bona secreta aliis medicamentis sunt. sed vide hominum insaniam, quod peregrinum est, necdum constat, inquit Hipp. de *fract. in princ.* an utile sit, consuetudo, quod jam norunt utile esse, anteponunt, quodque ab usu communi abhorret ei, quod est probe cognitum.

Sextus casus est cum Medicus à publico conductus per semetipsum non satisfacit muneris sibi injuncto, sed servit per substitutum, quia cum dicatur electa ejus industria, tenetur ipse per fe inservire. Carrar. *ubi supra. par. 3. num. 11.* quod videndum, an procedat indifferenter in omnibus casibus, quia facile evenire potest, ut substitutus sit majoris pretii, & valoris, quam substituens; & tunc videretur, quod cum hoc non emergeret in damnum, sed potius in utilitatem conduecatur, non esset hoc Medico conducto interdendum.

Septimus casus est, cum Medicus suæ ipsius Artis præcepta negligit, & omittit secundum ea operari, quia medicamentis non fidit, neque iis, quæ Medicina per ea promittit, fidem habet; nam præterquam quod magis debet tribuere universo sapientium, hominumque consensui, quam propriæ opinioni, dato quod ejus persuasio vera esset, ipse diceretur homines decipere exercendo medicinam, & mercedem laborum suorum ob ejus administrationem ab illis exigendo, & teneretur ad restitutionem. debet ergo Medicus Arti suæ fidere, & ejus præcepta soletissime exequi, alias graviter delinquit. Navarr. in *Manua. cap. 25. num. 60.*

Octavus casus est, quando Medicus studia dimittit, negligitque etiam in difficilioribus casibus auctores evolvere fidens tantum propriæ scientiæ, & experientiæ, cum enim in dies novi morbi emergant, & iidem morbi in diversis personis naturam evariando, evariant etiam medendi rationem, quia & temperamentorum, & ætatum, & sexuum, & Regionum, & institutionum in victu, & consuetudinum, & complicationis morborum, & symptomatum, aliarumque plurimarum rerum variatio in hoc opereatur, nunquam Medicus debet ita fidere antea actis experientis, ut putet non indigere se novo studiorum labore, novaque in novis præcipue morbis speculatione.

Nonus casus est, cum Medicus negligenter se gerit in Ægrotantium visitatione. Navarr. *ubi supra*, & maxime si ex ejus negligentia ægrotos aliquid damni reportare cognoscat, ut verbi gratia,

si serius vifitet, quam oporteat, & tranſacta jam oportunitate applicandorum remediorum, ita ut ea procrastinare cogatur non ſine ægotantium evidentiam damno. in quem errorem facile dilabuntur, qui Principibus viris medicinam facientes aliquando leviter ægotantibus, tenuioris fortunæ homines graviter, & ad mortem ægotantes, ut illis accuratius infervant, tranſcurant.

17 Ultimus caſus eſt, cum Medicus deploratos relinquit, de hoc enim maxime hæſitatur, an licite fiat, nec ne. nam primo & ratione, & auctoritate probatur id licere. Ratione quia incaſſum Medicus videtur invlere ægotantes remediorum incapaces, quales ſunt deplorati; fatius ergo eſt, ne obijciatur illud, Amice ad quid veniſti? huiusmodi ægotantes ſolo prognofico relinquere, ſecundo quia viſitatio Medici cum ægroti ſunt in extremo vitæ poteſt eſſe noxia ſaluti Animarum, cum enim in eo ſtatu poſiti debeant à præſentis vitæ amore ſeſe alienare. ut ſpe futuræ vitæ ſerio concepta ad Deum toto corde, totaque mente convertantur, certum eſt ex Medici viſitatione illos à deſiderio ſalutis æternæ ob ſpem ſalutis corporeæ, ac temporalis diltrahi. tradendi ergo ſunt tales infirmi Religioſis, qui Animæ medeantur, & ipſius æternæ ſaluti propſpiciant quantum in ipſis eſt. Tertio quia ſi deploratis remedia admoveamus, poteſt fieri in præiudicium aliorum ægotantium, quia remedia, quæ adhibentur in iis, qui de proximo ſunt morituri, infamantur. & male in poſterum apud cæteros homines audiunt, ita ut non permittant Medicos amplius illis uti, quod ne fiat deplorati potius ſunt ſolo prognofico relinquendi.

Probatur ulterius id ipſum auctoritate, quia Hippocr. in *lib. de Arte*, de eſſentia Medicæ Artis dixit, eſſe eorum, qui à morbo victi ſunt curam non agredi. manifeſte etiam Gal. 2. *Aphor.* 29. & 11. *Method.* cap. 10. & 4. *de rat. vitæ.* 12. id ipſum inculcavit volens in his ægotis invilendis Medicum ſolo prognofico uti debere, quod etiam videtur ſentire Cell. *lib. 5. cap. 26.* atque eandem ſententiam ſequitur ex recentioribus Card. *lib. 1. Contr. Med. tract. 5. contr. 9.*

Pro huius dubii reſolutione, videtur dicendum cum Recentioribus, nempe cum eodem Card. *de mal. med. uſu cap. 47.* Rod. à Caſtr. *lib. 3. Med. Pol. cap. 17.* Codronch. *de Chriſti. med. rat. lib. 1. cap. 7.* Mercur. *lib. 3. Error. popul. cap. 26.* & novill. Zacchuto *de Princ. Med. hiſtor. num. 63. dub. 41.* & cum ſolertiſſimo Medico, & hic Romæ magno cum applauſu Medicinam faciente Gabriel Foul. in *ſua Med. accon. cap. 11.* deploratos, imo etiam de proximo morituros nullo modo ulque ad extremum vitæ ſpiritum eſſe deferendos, maxime ſi mente conſentent, dummodo ea cautela utamur, ut prognoficum, & noſtram viſitationem ſubſequatur immediate, & præcedat omnium, & quorumcunque etiam minimorum remediorum admotionem. Ad primam autem rationem in contrarium dicendum, nunquam Medici viſitationem poſſe eſſe inanem, & ſuperfluum, quia etiam in eo ſtatu poſitis poteſt ſecundum eorum exigentiam ea præſcribere, quæ juvare maxime nocere nunquam poſſunt. præterquam quod nunquam tam certi ſumus de mortis eventu, quin aliqui etiam ex deploratis præter ſpem non evadant, ut alias ex Medicorum auctoritate dixi, Avic. 4. 4. *tract. 2. cap. 10.* ad quod etiam auctoritas Iureconſultorum adduci poteſt, ne ea ulla in

re deficiat. Gaill. *præſt. Obſer. lib. 2. obſ. III. num. 14.* Quin etiam poteſt Medicus viſitando ægotum moribundum ſaltem nonnulla prohibere, quæ mortem accelerare poſſunt.

Ad ſecundam rationem in contrarium dicendum, quod ſi Medicus caſus fuerit in prædicendo mortis eventum de proximo, etiam ipſi ægroti, ſi ita expediatur, nunquam animæ, aut corporis ſaluti præiudicium afferet. Ad tertiam dicendum Medicum omnem calumniam facile evitare, & ſui ipſius, & remediorum, quæ præſcribit, propalando verum prognoficum futuræ mortis. Ad auctoritates dicendum, omnes loqui de iis, qui jam jam extremum ſpiritum ſunt exhalaturi, ut ex Gal. dicit Cardan. in *cit. lib. Contrad. med. vel dicamus cum eodem Cardan. in alio cit. loco de mal. med. uſu*, intelligi de Medico de novo accedente, non de illo, qui à principio curam ſuſceperit, & in ſumma tutius eſſe cum recentioribus in hac re ſentire.

S V M M A R I V M.

- 1 Medici ad ſenium deduſti, & defectum interiorum ſenſuum jam habentes, medendi artem non debent exercere.
- 2 Medicus qui ſequitur opiniones dubias, incertas, novas, graviter errare videtur.
- 3 Medicus etiam doctus, qui non aſſumpſit inſignia doctoratus, mederi non poteſt.
- 4 Medicus abſque ſufficienti ſcientia artem exercens graviter errat.
- 5 Medicus peccat curando morbum, antequam eum cognoscat. *Limita ut nem ſeq.*
- 7 Medicus errat, qui medicamenta nova, & non experta in uſum trahit.
- 8 Melius eſt anceps remedium experiri quam vulgum.
- 9 Medicus peccat ſi plures ægotos, quam poſſit diligenter curare, curandos ſuſcipiat.
- 10 Medicus graviffime peccat ſi medicamentum præſcriptum pro non bono cognitum, mutare renuit.
- 11 Medicus peccat, qui ut ſeniori Medico, vel amico morem gerat, medicamenta ab ipſo propoſita, & que minus opportuna cognoscat, tamen accipiat.
- 12 Medicus peccat ſi medicinam non ſecundum Artis præcepta, ſed ſecundum locorum conſuetudinem exercet.
- 13 Medicus graviffime peccat porrigendo medicamenta abortiva.
- 14 Abortum procurare ob matris ſalutem, an licitum.
- 15 Abortum quando liceat procurare ex Moxio. *nu. ſeq.*
- 17 Gravidæ an liceat ſanguinem ex pede detrabere.
- 18 An liceat intra puerperii terminos catarrica medicamenta præſcribere.
- 19 An liceat exhibere medicamenta ſterilitatem procurantia.
- 20 An liceat morbum provocare, ut alium morbum curemus.
- 21 Medicamenta ad malum aliquem finem præſcribere error graviffimus.
- 22 Medicamenta venenofa præſcribere grave peccatum.
- 23 Medicamenta ſuperſtitioſa præſcribere eſt grave peccatum.

24 Imma-

24 Imagines Aſtologica fabricatæ an ad alienus morbi curationem à Medico in uſum trahi poſſint.

25 Medicus, qui pauperi medicamenta pretioſa præſcribit, aut diviti non neceſſaria, peccat.

26 Peccat Medicus præſcribendo medicamenta corrupta, & obſoleta.

27 Morbos incurabiles an curandos ſuſcipere Medicus poſſit. *dic ut num. 29.*

28 Medicus curando morbum incurabilem nulli facit injuriam.

30 Medicus concedens in morbis deſperatis, & incurabilibus noxia ab ægotis deſiderata, peccat.

31 Medicus an poſſit curare ſuſcipſum.

De erroribus Commiſſionis circa operationem.

Q V A E S T I O V I I.

1 IN hoc errorum genere placet primo connumerare communem Medicorum omnium pane errorem, qui cum ad ultimam jam ſenectutem pervenerint, & ſenectus incommodis, quæ ad rationis uſum, & ingenii, ac memoriæ perſpicaciam ſpectant, moleſtentur, ita ut jam ad medendum inepti ſint, tamen ob avaritiam, quæ Medicorum, & ſenum peculiare vitium eſt, medicinam facere non deſiſtunt, quod aliquando gravi cum ægotum damno fieri experientia ipſa quotidiana docet, ob memoriæ enim præcipue torporem in mille non contemnendos errores maxima cum hominum pernicie impingunt. Optime ergo horum conſcientia conſultum putaverim, ſi, cum ſe memoria, atque iudicio deficere ex ætatis vitio ſenſerint, vel omnino à medendo ſeſe abſtineant, vel multa circumſpectione utantur, ne in propriarum animarum, & alienæ ſalutis detrimentum contra quam teneatur medicinam faciant.

2 Caterum ante alia ſtatuendum, quod Medicus, qui in medendo incertas, novas, dubias, & extra quotidianam praxim exiſtentes opiniones ſequitur, gravem errorem committit, cum ex conſcientia teneatur ſequi ſententias certas, ſecuras, & communiore, Paulus Laymann. *lib. 1. Theol. mor. tract. 1. cap. 5. num. 15.* quod ſecundum plurimum intelligendum, quia interdum poteſt Medicus à communi prædicandi modo recedere ob particulare aliquo reſpectu, ut, exempli gratia, ſi fluentibus menſtris præcipiti, ac ſuffocante ſquiantia mulier capiat, poterit in eo caſu Medicus contra communem praxim uſum ex ſuperioribus venis ſanguinem mittere. contra vero damnandi, & puniendi etiam ſunt Medici illi, qui remedia quædam celeberrima apud Medicæ Artem omni ſæculo canonizata reſpungunt, & ob propriam quandam hæreſim ea maximo cum ægotum præiudicio, prætermittunt, abſurdis quibusdam, & inſulſis rationibus inhaerentes, quæ ne dignæ quidem ſunt, quæ in medium producantur. tales ſunt qui ſanguinis miſſionem negligunt, aut à veſſicantibus medicamentis in omni morbo abhorrent; ſed hi errores ad omiſſionem pertinent, ad commiſſionem pertinet ille, ſanguinem præter modum, ultra vires, extraque morbi exigentiam detrabere, aut violenta, & cathartica medicamen-

ta, abſque ulla urgente neceſſitate præſcribere; videmus enim in dies ex utroque errore infirmos periclitari, & novimus hic Romæ Medicos, qui miſeris ægotantibus ulque ad ſpiritus exhalationem ſanguinem detrahebant indiſſenter in omni morbo, in quocunque morbi tempore, imo & in quocunque tempore particularis acceſſionis, nullo delectu, nullaque ſibi intentione propoſita, & aliquando in morbo vigefimum diem non excedente vigefies ægos phlebotomæſſe comperimus. vidimus eos robuſtiſſimos juvenes carnicino hoc conſilio è medio ſuſtulſiſſe; vidimus eos moribundis quoque, animamque de proximo exhalaturis ſanguinem detraxiſſe ea ratione non niſi multo cachinnu excipienda, ut ſuavius morerentur. ac denique vidimus ex his Medicis alterum alias non aſpernanda doctrina imbutum, ſeipſum jugulaſſe; poſtquam enim copioſiſſima ſanguinis miſſione florenti adhuc ætate attriticis doloribus ſeſe obnoxium reddidiſſet, quos iterum non alio remedio, quam repetita, ac frequentata ſanguinis miſſione curabat, & veluti caeceticum habitum induiſſet, tandem per tredecim vices in ultimo morbo ſibi ſanguinem detraxit, & maxime in die mortem præcedente ad uncias decem, & octo, ut relatum ab aliis amicis Medicis mihi eſt. certe pertinax huius Medici perſuaſio helleboro indigebat. peccabat ergo hic graviffime in ægotos, & graviffime item peccavit in ſe, ſed ſui peccati penas luit. Quod autem de ſanguinis miſſione dictum eſt procedit etiam in exhibitione fortium medicinarum, quæ in uſu de raro ſunt, ex quorum exhibitione in dies homines periclitari notamus, ut Antimonium, Helleborum, Mercurius, & alia huiusmodi, quæ tamen à Medicina me eliminare nullus exiſtimit, ſed tantum frequentem eorum uſum abſque neceſſitate urgenti uſurpatum vituperare; idemque ſentio de quibuscunque aliis medicis auxiliis, quæ in ſumma ſecundum communiorem opinionem, non ſecundum aliquam particularem hæreſim adminiſtrare decet, ita ut neque nimis, neque nimis parvus ubi morbus requirat eorum uſus ſit. ſam alium quemdam Medicum craſſioris Minervæ hominem novimus, qui robuſtiſſimis juvenibus in morbis maxime ſanguinis evacuationem requiritibus, nullo contra indicante prohibente, unam aut alteram ſanguinis unciam detrahebat. Prodicus item apud Hippocr. 6. *Epid. ſect. 3. ſex. 27.* Febricitantes interficiebat curſibus, luſta, & calidis fomentis. contra omnem ergo rationem, & contra communem Medicorum aliorum opinionem tentabat hic calefaciendo febrem ſuperare addens laborem labori, & auxiliis ipſi febri inimicis febrem propulſare volebat, plethendus ergo erat hic, & à Medicina faciendâ prohibendus.

Præterea Medicus etiam ſi doctus ſit mederi non poteſt, niſi doctoratus inſignia aſſumpſerit. Ioan. Alph. à Fontech. in *ſpec. Med. Chriſt. lum. 1. verſ. Dubitari tamen.* & ſi medeatur plecti iure poteſt, quia tenetur pœna falli, cum ſe Doctorem præbeat, & immiſceat ſe in actibus Doctorum, cum Doctor non ſit, ut ex Franc. Mar. dicit Carrar. *de Med. par. 3. num. 147.* ſed Io. Alphonſus ſupracitatus reſtringit hoc, ut non procedat in caſu neceſſitatis. ego tamen non video quo ex capite id procedat, cum Doctoratus nihil addat ſcientiæ, & ſufficientiæ ipſius Medici, niſi ergo aliquo alio ex capite id peccatum
ij. Kk 2